VICIPÆDIA

Lingua Latina

Vide etiam paginam discretivam: Latina

Lingua Latina, Latinus sermo	
Taxinomia:	Lingua Indoeuropaea Italicae familiae
Status:	Status antiquus linguarum Romanicarum
Sigla:	1 la, 2 lat, 3 lat
Usus	
Aevum:	Saec. 5 a.C.n. – 8 p.C.n.
Situs:	Roma et Imperium Romanum hodie lingua botanica et zoologica; lingua publica ecclesiae Catholicae et Civitatis Vaticanae
Litterae:	Litterae Latinae
Scriptura:	Abecedarium Latinum

Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae

Lingua Latina,[1] sive **sermo Latinus,**[2] est lingua Indoeuropaea, qua primum Latini universi et Romani antiqui in primis loquebantur, quamobrem interdum etiam **lingua Latia**[3] (in Latio enim sueta) et **lingua Romana**[4] (nam imperii Romani sermo sollemnis) appellatur. Nomen linguae ductum est a terra, quam gentes Latine loquentes incolebant, Latium vetus interdum appellata, in paeninsula Italica inter Tiberim, Volscos, Appenninum, et mare Inferum sita.

Cum populi rei publicae Romanae et imperii Romani lingua Latina in rebus publicis privatisque uterentur, etiam lingua Latina linguam Graecam magnopere adfecit, nec minus haec illam. Sicut lingua Graeca, Latina lingua flexiva est, ut nexus verborum non ex ordine appareat, sicut mos est linguis Romanicis et Anglicae, sed ex affixis.

Usus linguae Latinae continuo ab antiquitate usque ad tempora hodierna extenditur. Saeculis VII-IX multas peperit linguas quae linguae Romanicae vocantur, sicut Catalanam, Dacoromanicam, Francogallicam, Gallaicam, Hispanicam, Italianam, Lusitanam, ne omnes afferantur.

Ex tempore rerum novarum Francicarum, quamquam Ecclesia Catholica Romana nec non institutiones academicae saeculares adhuc lingua Latina utuntur, lingua mortua appellari solet, praesertim nationalismi causa, quia ex saeculo duodevicesimo patrius sermo esse gradatim desiit. Attamen hodie multi homines Latine loqui sciunt. Quin etiam Finlandia iam plus viginti annos undis radiophonicis nuntios emittere pergit, sedes Latinae interretiales multiplicantur ac conventus internationales, quorum participes solo hoc sermone utuntur.

Index



Cippus, in quo invenitur antiquissimum exemplum Latinae linguae, sub lapide nigro in foro Romano.

Historia

Si plus cognoscere vis, vide Historia Latinae


In subfamilia linguarum Indoeuropaearum Italica linguam Latinam esse constat. Abecedarium quidem eius de abecedario Etrusco venire putatur, quod se invicem de Euboeico evolvit. Huius linguae historia usque hodie sex aetates complectitur: archaicam, classicam, postclassicam, medievalem, humanisticam, et neolatinam, quae subter in tabula ostentatur.

Historia Linguae Latinae

tempore certo usque ad saeculum 2/1 a.C.n.	**saeculum 2/1 a.C.n. usque ad saeculum 1 p.C.n.**	**saeculum 1 usque ad saeculum 8**	**saeculum 9 usque ad saeculum 14**	**saeculum 14 usque ad saeculum 17**	**saeculum 17 usque ad hodie**
Lingua Latina archaica	Lingua Latina classica sive aurea	Lingua Latina postclassica sive argentea	Lingua Latina mediaevalis	Lingua Latina humanistica	Lingua Neolatina
	Sermo vulgaris		Linguae Romanicae (Dacoromanica, Francogallica, Hispanica, Italiana, Lusitanica, etc.)		

Archaica

Si plus cognoscere vis, vide Lingua Latina archaica




Inscriptio Duenos sic, ut historicus Hendricus Dressel reddit

Lingua Latina censetur in Italiam circa saeculum 9 a.C.n. a migrantibus ex septentrionibus lata esse, qui deinde Latium incolerent, in qua regione urbs Roma orta est. Ibi in linguam Latinam verba e variis linguis—Etrusca, Graeca—venerant, sicut *persona* (Etrusce *perśnu*), quod est late agnitum, vel etiam talia vetustiora, ut visum est primum in Plauti et Terentii operibus, qualia *techna* (Graece *τέχνη*) et *machaera* (Graece *μάχαιρα*).

Litterae Latinae hanc per aetatem mutatae sunt, cum exempli gratia terminationes veteres *-os*, *-om*, *-oi*, et *-osom* aetate classica ad *-us*, *-um*, *-i* et *-orum* mutatae sunt. Littera intervocalica *s*, quam Lingua prisca Indoeuropaea praeservabat, ubique in *r* mutata est, quod rhotacismus dicitur. Itaque, etiam ob rhotacismum genetivus **honos-is* ad *honor-is* atque eodem modo etiam nominativus *honos* ad *honor* mutati sunt.

Classica sive Aurea



Commentarii de Bello Gallico, versio anno 1783 edita libri a Iulio Caesare circa annum 40 a.C.n. scripti

Temporibus adversis? in oeconomia et politica et cultura, patricii ex Latinae colloquialis? varietatibus linguam francam Latinam creaverunt, adhibitam in administratione et doctrina et ad litteras colendas. Hoc tempus fuit Aurea Latinae Aetas, saeculis 1 a.C.n.–1 p.C.n..


Antequam tota Italia in dicionem Imperii Romani saeculo 1 a.C.n. redacta est, per totam paeninsulam homines utebantur sive Lingua Celtica (post huius gentis incursiones saeculo 4 a.C.n. trans Padum), sive illa non-Indoeuropaea lingua Etrusca, sive aliis linguis Italicis, sicut linguis Osca et Umbra (appellatis "Sabellicis"), et lingua Falerica, cognata linguae Latinae, qua loquebantur prope Romam ad septentriones. Sunt etiam Sicaniae aut Siculae linguarum pauca indicia, sed hae linguae modo videntur similes Latinae-Faliscae esse. Coloni vero Graeci saeculo octavo a.C.n. etiam suam linguam in eas Italiae partes, quas ad litora meridiana Siciliamque orientalem colebant, tulerunt. Imperio autem Romano crescente lingua Latina ideo praeoptata erat praeter linguam Graecam, ut omnes fere hac lingua locuti sunt, praesertim in Italia meridiana.

Post aetatem classicam

Lingua, qua loquebantur populi, paulatim de Latina franca Latina distulit, quam schola tenere conabatur, et de litteraria. Diutissime de legibus et de rebus publicis et de aliis per totum Imperium Romanum Latine dictum est. At, quamquam opera superstantia Romana sunt paene omnino scripta Latina Classica lingua, Ciceronis Caesarisque aliorumque opera comprehensa, vera lingua dicta in Imperio Romano occidentali erat Latina Vulgaris, quae tantum grammaticis, vocabulario, et postea locutione differt.

Etiam Romani optimates linguam Graecam discere solebant, et illa uti amabant, cum eam ad philosophiam et litteras pertinere aestimassent. Alioqui Graece plurimi, praecipue in Imperio Orientali, adeo loquebantur, ut lingua Graeca, commercio et peregrinationi quasi lingua franca eo die habita est. Post ultimum discrimen

inter Imperia Orientale et Occidentale anno 395, in Orientali demum Graeca pro Latina usui legitimo et gubernatorio substituta est, ex ea causa, quod in illis partibus omnes societatis ordines diu lingua Graeca locuti essent.



Biblia Sacra Christiana in Latinum ab Sancto Hieronymo annis 390-400 conversa (versio Vulgata Clementina anno 1605 edita).


Mediaevalis

Si plus cognoscere vis, vide Latina Mediaevalis

Aevo Medio incipiente, lingua Latina fuit publicus multarum civitatum Europaearum sermo Civitate Vaticana inclusa. Quamquam autem lingua a scholis, eruditis, et civitatibus adhibebatur, sermones vulgares a lingua Latina magis magisque inter se differebantur, ut tandem Romanicae linguae ortae sunt.


Textus digestorum Corporis Iuris Civilis cum glossis et notis iuris consultorum medii aevi

In Sabaudiae Ducatu, hodierna in sola aetate, linguae novae ut sermones adhibitae, verbi gratia linguae Italica et Francogallica, linguam Latinam ab anno 1561 suppleverunt.[5] Itaque, Imperii Austriaci in *Croatiae et Slavoniae Ducatu* lingua Latina usque ad annum 1848 unica officialis fuit et in ducali contione usitata est, atque leges novae Latine editae sunt. *Ephemerides Zagrabienses* vel acta publica hebdomadalia in urbe Zagrabia Croatiae ad annum 1772 Latine edita fuerunt.[5]


PHILOSOPHIÆ
NATURALIS
PRINCIPIA
MATHEMATICA.

IMPRIMATUR.

LONDINI,

Philosophiae naturalis principia mathematica, liber ab Isaaco Newtono Latine anno 1687 scriptus

Humanistica

Si plus cognoscere vis, vide Lingua Latina Renascentiae

Aetas humanistica censetur ex saeculo quartodecimo incipere. Post schismata protestantium scholares humanistici conati sunt linguam Latinam convertere in linguam internationalem. Lingua Latina igitur hac aetate lingua quotidiana Ecclesiae Catholicae Romanae non tantum fuit, sed tamen scientiae, iuris, et litterarum. Pleraque nomina et taxinomiae et biologiae, et iuris ex hac lingua (et Graeca) ducta sunt. Describitur ergo ordo plantarum (id est florum herbarumque arborumque) et animalium adhuc Latine.

Nationalismus autem civitatum Europaearum magnopere per hanc aetatem quoque auctus est, quod effecit, ut civitas quaeque propriam linguam nationalem distinctamque petivisset: Britanniarum Regnum tandem linguam Anglicam habuit, Francia linguam Francogallicam, Hispania Hispanicam, Germania Theodiscam, Italia Italicam, etc.

Demum lingua Latina ut lingua franca internationalis omnino desinit, a lingua Francogallica dimota, post Rerum Francicarum eversionem, cum Francia revolutionem contra Ecclesiam Catholicam Romanam habuit, et imperium per continentem Europaeum extendit saeculo duodevicensimo sub Napoleone Bonaparte.

Neolatina

Si plus cognoscere vis, vide Lingua Neolatina

Aetas neolatina saeculo undevincensimo incipere putatur. Hac aetate linguae usus definitur ab Ecclesia Catholica Romana et ab academicis secularibus, qui mores classicos recolere volunt.

Lingua Latina Ecclesiastica sermo specialis ab Ecclesia Catholica Romana adhibitus vocatur. Lingua adhibita est in editionibus typicis librorum liturgicorum, litteris et scriptis Papae, praesertim illis quae encyclicae nominantur, ceterisque scriptis et congregationum sanctae sedis et Civitatis Vaticanae. Etenim cantus et preces sacrae liturgiae saepe Latine exercentur. Hodie est enim lingua Civitatis Vaticanae, cuius tamen cives in alloquio non lingua Latina, sed lingua Italica utuntur. Etiam relinquerunt in Ecclesia Catholica nonnullae communitates quae sicut Fraternitas Sacerdotalis Sancti Petri aut Fraternitas Sacerdotalis Sancti Pii X secundum Traditionem quam semper exercuit Ecclesiam ab Nicaei Consilio ad Vaticanum II Consilium latinam missam celebrunt.



Omnia signa Stationis Segedunensis hodie et Anglice et Latine scripta sunt.

Multi academici autem hodie etiam veram linguam aetatis classicae recreare petunt. Hi fautores neolatini praecipue modum latinitatis vivae ad linguam Latinam discendam colunt, ubi discipuli linguam discunt ea utendo ad res quotidianas describendas. Quod ad propositum, fautores nova vocabula facile admittunt ad res hodiernas reddendas, multas institutiones ad linguam citandam statuunt, et multos libros Latine scribunt.

Regnum Hungariae

Lingua Latina temporibus Neolatinis plura Europae regna non utuntur, nisi in rebus Ecclesiae operibusque scientiae. In Imperio Romano Sacro Italiaeque regionibus iam a saeculo decimo quinto nobiles competentesque ad gubernandum non Latine, sed suae civitatis idiomate, scilicet Theodisce et Italiane his in casibus loquuntur. Hungaria, quae minor in regnis Europae erat, usque ad 1844 multarum civitatum regni eiusque conservativismi causa in legislatione in diaetis Latino sermone utebantur. Thesaurus Latinitatis Hungaricae etiam in eo demonstratur, quod regni historiae paene tota legenda gestaque, ephemerides, varii libri scientiae etc. in hoc sermone scripta sunt. Inito nationalismo multi fuerunt, qui pro Hungarorum sermone multum laboraverunt, sineque ulla animadversione variarum aliarum gentium, qui etiam in regno Hungarico vivebant hi linguarum cultores officium Hungarice discendi ad cunctas scholas amplificaverant; disputata igitur erat quaestio linguae civitatis 50 annos, a finibus saeculi duodevicensimi usque ad 1844. Contra totam solum Croati adversabantur: Croati nobiles decreverunt in diaeta provinciali anno 1805 25 Novembris, ut "nullo tempore linguae Hungaricae, aut alterius, praeter Latinam in his regnis usus fiat."

Condicio linguae hodiernae

Germania

Secundum Officium Rerum Statisticarum Foederale in Germania in scholis 8 centesimae partes omnium discipulorum annis 2004 et 2005 Latinum sermonem didicerunt, anno 2009 autem 9 partes centesimae.[6] Diarii, quod vulgo *Frankfurter Allgemeine Zeitung* vocatur, diurnarii moderatores de rebus personalibus triginta societatum anonymarum quanti momenti apud seipsos linguae Latinae scientiam esse quaesiverunt. Diurnarii illarum societatum moderatores quaesiverunt quarum capitalis sortibus statistici utuntur ut medium pretium Germaniae syngrapharum et eius momentum computent. Quae societates sunt maximi momenti in oeconomia Germanica et ille sortium numerus index vocatur DAX. Responsum est e viginti duo societatibus ex triginta quaesitis. Ex una solum societate nomine "Bayer AG" responsum acceptum est indicans pro nonnullis rebus in societate sermonis Latini scientiam aliquid valere. Alii responderunt Latinae linguae scientiam non esse criterium, secundum quod personas in societate munus ad fungendum eligerent.

De sermone Latino

Vide rem principalem: Sermo vulgaris Latinus.

Latina vulgaris erat lingua sermonis plebis vel ordinis inferioris societatis veterum Romae vel in Latio. Ne Cicero quidem latina litterata formalique in sermone vulgari fari solebat. Rudium ordo vel ineruditum vulgus tamquam minime intellegeret et loquebatur simpliciori varietate latinae minus tenens regulas et accipiens nova elementa. Haec haud classica qua exculta ad linguas Romanicas (Francogallica, Hispanica, Italica, Lusitanica, Dacoromanica),? quia, quamvis auctoritas sit classica, genuinus sermo cotidianus fuit.[7]

Quomodo sermo Latinus cotidianus classicusque sonaret, recte nescimus, quia paene omnes litterae Romanae in lingua Latina classica erant.[8] Sed imaginem eius accipere potes per comoedias Romanas.[8] Hic est aliquid a Plauto conscriptum:[8]

> CLEOSTRATA : Myrrhina, salve.
> MYRRHINA : Salve mecastor: sed quid tu's tristis, amabo?
> CLEOSTRATA : Ita solent omnes quae sunt male nuptae: Domi et foris aegre quod sit satis semper est. Nam ego ibam ad te.
> MYRRHINA : Et pol ego istuc ad te. Sed quid est, quod tuo nunc animo aegre'st? Nam quod tibi'st aegre, idem mihi'st dividiae.

"tu's" = tu es, "aegre'st" = aegre est, "tibi'st" = tibi est, et "mihi'st" = mihi est.[8] Verbum "pol" est maledictum mite, significat "apud Pollucem".[8]

Litterae et pronuntiatus

Si plus cognoscere vis, vide Abecedarium Latinum et Pronuntiatus Latinus

Aetate classica abecedarium Latinum viginti tres litteras habuit, quod excludit litteras J, U, et W. Medio Aevo additae sunt ad abecedarium et litterae J, U, W, et litterae minusculae.

Pronuntiatio litterarum aliquantum inter locutores hodie variat. Exempli gratia, litterae V et W [IPA|v] pronuntiantur apud locutores ecclesiaticos, sed semivocalis (IPA [uw] vel [w]) apud academicos. Littera J, cum adhibetur, pronuntiatur semivocalis (IPA [ij] aut [j]) aut ut 'J' aliarum linguarum (IPA [dʒ], [ʒ], aut [x]).

Litterae maiusculae

A B C D E F G H I J K L M
N O P Q R S T U V W X Y Z

Litterae minusculae

a b c d e f g h i j k l m
n o p q r s t u v w x y z


Lingua sex diphthongos ostendit: ae = [aɪ̯], ei = [eɪ̯], oe= [ɔɪ̯], au = [aʊ̯], eu = [ɛʊ̯], ui = [ʊɪ̯]. Ne diphthongi pronuntientur, diaeresis super secundam vocalem additur: aes (gen: aeris) versus aër (gen: aëris), heros (pl. heroës).

Lingua etiam vocales breves a longis distinguit. Antiquitate et apud multos huius diei locutores, vocales longae apicibus super litteras monstrantur: breves enim scribuntur a, e, i, o, u, y, et longi á, é, í, ó, ú, ý. Sunt quoque hodie qui macris vocales longas indicant scribentes: ā, ē, ī, ō, ū, ȳ.

Praeceptum Latinum, quo syllabarum accentus in dictibus polysyllabis determinetur, est hoc:

1. Accentus in paenultima syllaba cadit cum dictum solum duas syllabas habet, aut cum vocalis paenultima est longa, aut cum duo consonantes vocalem paenultimam sequuntur;
2. Accentus aliter in antepaenultima syllaba cadit.


Cum vocalium longitudo tantum in accentu determinando et in ablativo casu interdum distinguendo refert, sunt scriptores qui praecipue vocales longas apicibus macronibusve monstrent, cum in paenultimá vel ultimá syllabá cadunt (quod hác in clausulá monstrátur). Alii scriptores, sicut Arcadius Avellanus, solos accentus ipsos apícibus denotavérunt cum extra paenúltimam sýllabam caderent (quod hac in cláusula monstratur).



Litteratura cursiva antiqua recreata ad exemplum Tabularum Vindolandiensium

Grammatica

Si plus cognoscere vis, vide Grammatica Latina



GRAMMATICAE ARTIS INSTITVTIO PER IOANNEM SVSENBROTVM Rauenspurgi ludimagistrum ex Grāmaticorū Coryphæis [illegible] [illegible] concinnata.
ETYMOLOGIA cum uerborum compositorum orthographia.
PROSODIA, quæ syllabarū tempora & tonos perpendit.
SYNTAXIS ferè ex Thoma Linacro.
DE constructæ orationis distinctione & ordine naturali.
MANLIVS.
Ornari res ipsa negat, cōtenta doceri.

Grammaticae Artis Institutio ab Ioanne Susebrotum anno 1539 scripta

Sicut linguae Graecae, sunt Latinae declinationes. Pro paradigmate nomina numerata sunt in declinationes et verba in coniugationes. In sententiis, voces sic ordinari solent:

1. primae sunt subiectum: *nomen* aut *pronomen* casu nominativo a nominibus adiectivis et nominibus casu genitivo descriptum,
2. sequuntur praedicatum: *verbum coniugatum* subiectum describens, ei praefixum nomen casu accusativo, nomen casu dativo, adverbia et descriptionem adverbialem.

Quia nomina et pronomina declinantur, munus eorum casu patefit, et dictionum ordo in sententiis variare potest. More Latino, dictiones notabiles in initio vel fine sententiae ponuntur.

Nomina substantiva

Nomen substantivum est pars orationis quae sive rem, sive hominem, sive locum sive notionem nominat, et per se intellegitur:

- Nomen proprium singulum nominat hominem vel locum.
- Nomen appellativum classem nominat sive rerum sive hominum sive locorum.
- Nomen collectivum multitudinem rerum nominat singulariter.
- Nomen abstractum sive qualitatem sive statum sive actionem sive notionem nominat, sicut per se exsisteret.

Si plus cognoscere vis, vide Declinatio (grammatica)

Paene omnia nomina Latina declinantur, ut ea simul designent:

- Casus septem, qui nominativus, vocativus, accusativus, genitivus, dativus, ablativus, locativusque appellantur,
- Genera tria (masculinum, femininum, et neutrum), et
- Numeros duos (pluralem et singularem).

Paradigmata substantivorum divisa sunt in quinque declinationes, pro terminatione casus ablativi: *a, o, i, e, u*

Quod ad casus grammaticos spectatur:

- Casus *locativus* iam quoque aetate classica, ut hodie, solus adhibitus est ad designandum quo loco aliquid exstat, utrum in *urbe* vel in *oppido*, vel in aliis locis sicut *in urbe Roma=Romae*, *in domo=domi*, *in rure=ruri*, vel *in foco=foci*. Nomina primae secundaeque declinationis *propria* formas speciales sumunt locativas, quae singulari numero idem sunt ut casus genetivus. Ablativus autem secundae declinationis quoque adhibitus est sensu locativo, cum *quarto anno* et similibus dicimus. Nominum tertiae declinationis locativus idem formatur ut dativus. Et aliarum declinationum et formarum pluralium locativus idem formatur ut ablativus. *Tertio die*, *pridie*, et *hodie*, exempli gratia sunt exempla locativi quintae declinationis.


JOH. JACOBI HOFMANNI
LEXICON
VNIVERSALE.
HISTORIAM SACRAM ET PROFANAM
GEOGRAPHIAM ET VETERIS ET NOVI ORBIS,
GENEALOGIAM,
METHOLOGIAM, RITUS, CAERIMONIAS,

Hofmanni Lexicon Universale anno 1698 editum, quod multa nomina Latina nobis praebet

- Casus *ablativus* quidem aetate classica multos usos complectitur: instrumentales, locativos, necnon ablativos veros *unde* vel *a quo latere ortus* significantes. Casu *instrumentali*, quem aliae linguae Indoeuropaeae habent, lingua Latina aetate classica omnino iam caruit; munus eius et munus casus ablativi antiqui in casum ablativum classicum volvitur. Quamquam casus ablativus *a quo latere ortus* significare Latine solet, oportet nos notare adverbium *quo* a casu pronominis ablativo distinguendum esse, quia *adverbium quo* significat *ad quem locum* nec *a quo loco* (*unde*) nec *in quo loco* (*ubi*), neque *quo tempore* (*quando*).



Domine quo vadis?, pictura anno 1602 ab Hannibale Carracci picta, et in Pinacotheca Nationali Londinii monstrata, cuius titulus usum adverbii *quo* monstrat

- Casus *dativus* indicat, sive quem actio verbi oblique afficit, sive cui aliquid datur, sive propter quem aliquid agitur, sive cui aliquid agendum est, sive cui aliquid licet, lubet, satis, bene, aut male sit. Dativus Latinus quoque sensu possessivo adhibitus est, ad possessionem fortiter dicendum, exempli gratia in sententia *Nomen mihi est = Nomen meum est.*

- Casus *genetivus* indicat nomen quoddam alterum nomen afficere: possessionem vel materiam vel classem vel qualitatem vel quantitatem. Latine quoque genetivus fungit cum nominibus actionis
  - cum nominibus substantivis scribimus e. g. "caritas tui = caritas erga te", "precatio deorum=precatio ad deos", "impetus urbis = impetus in urbem", "invidia mei= mea invidia";
  - cum nominibus adiectivis, quae obiectum petunt, scribimus e. g. "avidus laudis", "memor vestri", "oblitus sui", "amor sui", "nostrae consuetudinis imperitus", "plenus fidei";

- Casum *genetivum* regunt
  - verba memorandi vel obliviscendi, quae aut accusativum aut genetivum petunt;
  - verba impersonalia, sicut refert et interest, quae petunt hominem affectatum genetivo casu reddere.

- Casus *accusativus* Latine, ut in aliis linguis syntheticis, rem designat illam, quam verbi actio directe afficit. Quoque autem designat Latine actionis effectum, tempus dum aliquid accidit, rem aut locum ab actione petitum, subiectum in sententis indirectis, exclamationes. Omnes praepositiones Latinae aut ablativum aut accusativum petunt.

- Casus *nominativus* simpliciter id aut eum designat, qui verbi actionem agit.
- Casus *vocativus* designat quem ab altero vocatur. Vocativus Latinus semper idem est ut nominativus, praeterquam in declinatione secunda, ubi nomina quae in *-us* desinunt, vocativum formant *-e* addendo, et ubi nomina quae in *-ius* desinunt, vocativum formant *-i* addendo.



Causidicus reum in iudicio accusat.

Nomina adiectiva

Nomen adiectivum dicitur nomen, quo rei vel rerum qualitas et numerus indicetur:

- Nomen adiunctivum quod qualitatem rei describit
- Nomen numerale quod quantitatem vel numerum rei dat.

Sicut qualitas et numerus haud separatim exsistere intellegitur, tamen adiectivi exitus necessario adaptatur ad substantivi descripti genus, numerum et casum. Latine autem plurima nomina numeralia sunt indeclinabilia.

Adiectivi sensus ab adverbio et nomine casu ablativo et genetivo adaptatur, ubi ablativum saepe formatur vel ex supinum, e.g. "mirabile dictu."

Adiectiva ex nominibus substantivis et verbis derivantur, suffixa ad themata addendo, sicut -ulus, -culus, -osus, -tus, -eus, -alis, -arius, -orius, -ilis, -anus, -ensis, -inus, -eius, -icus, -ax, -idus, -ivus, -tivus, -ulus, -uvus, -ilis, -bilis, -tilis, et cetera. Participium specialiter dicitur adiectivum ex verbo formatum, quuod actionem quandam ad subiectum attribuit, e.g. faciens, factus, facturus. Ob naturam suam verbalem, haec adiectiva saepe argumenta casu ablativo, accusativo, et dativo additiva petunt, secundum consuetudinem verbi.

[recensere (https://la.wikipedia.org{{localurl:Template:{{{1}}}%7Caction=edit}})]
Colores

niger ater furvus	
canus	
albus candidus	
ruber	
flavus	
viridis	
caeruleus	
violaceus	

Comparationes

Adiectiva generaliter tres gradus comparationis admittunt:

- Positivus: e.g. (genere masculino) bonus, malus, magnus, longus, . . .
- Comparativus: e.g. melior, peior, maior, longior, . . .
- Superlativus: e.g. optimus, pessimus, maximus, longissimus, . . .

Ut substantiva comparentur, mos est adhibere:


- casum ablativum rei comparatae
- adverbium "quam" + nomen rei comparatae (necessario cum casus rei comparatae nec nominativus nec accusativus est)

Exempli gratia "Ille est maior fratribus suis" = "Ille est maior quam fratres sui."

Pronomina

Pronomen pars orationis est, quae rem, locum, aut hominem numquam per se *nominat*, sed nominis loco in sententiis adhibetur. Sicut nomina, pronomina pro numero, genere et casu declinatur.

In lingua Latina, omnia pronomina ex adiectivis ori putatur. Multa adiectiva enim saepe vim pronominalem in orationibus praebent.



Turres altae quae comparandae sunt: Turris Chalifae (rubro colore depicta) altissima est omnium. Turris Taipeiensis est tam alta quam Turris Sicagoensis (in medio). Turris Taipeiensis autem altior est quam Turris Londoniensis (ad laevam).

Verba

Si plus cognoscere vis, vide Coniugatio

Verbum temporale sive verbum est pars orationis, quae actionem vel qualitatem rei praedicat. Quod verbum Latinum per eius coniugationem subiectum quoddam necessario implicat, verbum est unica orationis pars, quae perfectam orationem sola constituere potest.

Verba Latina coniugantur, ut ea simul designent:

- Modos quattuor (indicativum, infinitivum, imperativum, coniunctivum),
- Tempora tria (praesens, praeteritum, et futurum),
- Aspectus duos (imperfectum et perfectum),
- Personas tres,
- Numeros duos (pluralem et singularem),
- Genera duo (activum et passivum).



Suetonius narrat verba C. Iulii Caesaris: "Pontico triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum *veni: vidi: vici,* non acta belli significantem sicut ceteris, sed celeriter confecti notam."

Paradigmata verborum in partes quattuor, coniugationes vocatas, divisa sunt pro terminatione infinitivi praesentis -āre, -ēre, -ere, -īre. Ut verba Latina ampliter declinentur, saltem studendae sunt hae quattuor verbi terminationes: indicativi praesentis primae personae, infinitivi praesentis, infinitivi perfecti, supini, e. g. :


- amo, amāre, amāvisse, amātum
- moneo, monēre, monuisse, monitum
- lego, legere, lēgisse, lēctum
- capio, capere, cēpisse, captum
- audio,audīre, audīvisse, audītum

Ut verba irregularia, sicut sum, possum, eo, etc. declinantur, plures terminationes discendae sunt.

Adverbia

Adverbium est pars orationis quae actionem describit, verborum vel adiectivorum. Adverbia respondunt ad quaestiones: quomodo? cur? quando? ubi? Exempli gratia, in oratione "Puer bene legit.", adverbium "bene" actionem verbi "legit" describit. Adverbium etiam potest adverbium describere, e.g. in oratione "Id multo bene est", "multo" "bene" describit.

Latine adverbia creare possumus libenter nominis adiectivi exitum mutando. Exempli gratia exitus *-us* in exitus *-e* aut *-im* mutatur, cum adiectiva primae declensionis habemus; et exitus *-is* in exitus *-e* aut *-iter* mutatur, cum adiectiva tertiae declensionis habemus. Videntur igitur: malus→male, seperatus→seperatim, facilis→facile, felix→feliciter.



Quam celeriter currit equus! Hac in sententia adverbia describunt quomodo equus currit: Primum adverbium "quam" sequens adverbium "celeriter" describit, sensum eius augens.

Praepositiones

Vide etiam: SIDSPACE

Praepositiones sunt partes orationis indeclinabiles nomini, vel praenomini praepositae, quae affinitatem quandam inter ea indicant. Lingua Latina quadraginta et tres praepositiones habet.

Plurimae praepositiones ex adverbiis ortae sunt. Multa adverbia funguntur ut praepositiones, sicut "palam" et "clam". Et nonnullae praepositiones quoque vim adverbialem interdum habent, e.g. "Circum eo", "Ante eo", et "Propter eo". Interdum possumus idem dicere vi adverbiali ac vi praepositionali, e.g. "illo propter" (propter ut adverbium) = propter illum (propter ut praepositio).

Coniunctiones

Coniunctio est pars orationis, quae alia elementa grammatica coniungit, dum relationes grammaticae inter ea praeservantur. Aliae coniunctiones ex adverbiis ortae sunt, aliae ex pronominibus relativis praepositionibus ligatis. Nonnulla quidem adverbia Latina simul ut coniunctiones funguntur, sicut *vel, ubi, ne, nec,* et *quam.*



Coniunctiones dicta pariter conligant.

Constructiones speciales



Ecce Homo, tabula a Quintino Mesio ca. annum 1520 picta, cuius titulus usum dicti *ecce* monstrat, et praeclara verba nobis revocat Pontii Pilati, cum Iesum cruciatum populo ostendit.

- Articulum: lingua Latina omnino articulis caret. Notandum autem est consuetudinem Latinam esse pronomine "hic" uti cum dicti declinationis casus definiuntur, pronomen "quisdam" saepe paene sensum articuli indefiniti capit, et pronomina "hic" et "ille" saepe sensum articuli definiti capiunt.
- Ecce est dictum grammaticum exclamativum quod "vide hoc!" fere significat; e.g. "ecce homo" = "vide hunc hominem"
- Res est nomen substantivum universale linguae Latinae. Dictum "res" adiectivo cuidam ligatum omnia significat, quae qualitatem adiectivo datam habeant. Hoc igitur est modus quo adiectiva in substantivum convertatur. Habemus igitur "res malae" = "omnia quae mala videntur"; "res informatica" = "omnia quae de informatica tractat"; "res publica" = "omnes res quae publice habentur" ="civitatis regimen, ius, et mercatus"; res novae = "nuntia" = (in civilitate) "rerum eversio"
- Participium: est orationis pars, quae vim verbalem ostendit, dum adiectivo fungitur. In lingua Latina sunt quattuor participia:

  Praeteritum, vim passivam habens: amatus, visus, dictus, factus, sensus
  Praesens, vim activam habens: amans, videns, dicens, faciens, sentiens
  Gerundivum, vim passivam habens, amandus, videndus, dicendus, sentiendus
  Futurum, vim activam habens: amaturus, visurus, dicturus, facturus, sensurus

- Supinum, quod est nomen substantivum neutrum quartae declinationis ex participio praeterito formatum; habemus igitur supina: amatum, visum, factum, sensum. Addendo verbum "ire" ad supinum, Latine redditur propositum actionis quoddam. Ergo, "eam amatum it" = "it ad eam amandum" = "it ut eam amet" ~ "eam amabit". Supinum casu ablativo redditum praecipue in adiectiva modificando fungit: e.g. *mirabile dictu*.
- Gerundium, quod est nomen substantivum secundae declensionis ex participio gerundivo et infinitivo formatum.

  Gerundii significatio fere omnes significationes complectitur infinitivi, participii praesentis, et participii praeteriti. Casús nominativi loco verbi infinitivum adhibetur, loco aliorum casuum gerundivi neutri generis. Gerundii usus praecipue est in oratione obliqua, clausulis infinitivis et verborum adiectivorumque descriptionibus per genetivum. E.g. "Dicit se esse bonum", "Vivere est amare", et " Vivit amandi causa".
  Sicut gerundivum sensum normativum praebet, ita et gerundium. Habemus igitur: "homo id facit ad eam amandam" (gerundivum) = "homo id facit ad eam amandum" (gerundium) = "homo id facit eam amandi causa" (gerundium) ="homo id facit eo consilio ut eam amet" (clausula finalis)

- Verba deponentia: ea dicuntur quae formá activá carent et cuius forma passiva sensum activum habent. Exempli gratia, inter verba deponentia numerantur:

  Primae coniugationis: mirari, minari, venari, recordari
  Secundae: vereri, reri, fateri
  Tertiae: sequi, loqui, uti, fungi, oblivisci, pati, frui, nasci, apisci, gradi
  Quartae: partiri, metiri, adsentiri, oriri, moriri

  Verba deponentia saepe participia sensu activo habent: e.g.

  "Homo bestiam sequens" = "homo qui nunc bestiam sequitur".
  "Homo bestiam secutus" = "homo qui iam bestiam sequitur"
  "Homini bestia sequenda" = "bestia quam hominem oportet sequi"
  "Homo bestiam secuturus" ="homo mox bestiam sequetur"
  NB. Futurum semper sensum activum habet. Quare, dicendum igitur est "Homo bestiam secuturus est" nec numquam pravum "Homo bestiam secutum it"


Artemis cum damma, sculptura Romana, quae Graecam anno 325 a.C.n. a Leochare factam simulat, monstratque venatricem Artemidem bestiam dammam secutam (hoc est Artemis dammam iam assequitur et capit)

- Verba semi-deponentia: ea dicuntur anomala, quae partem imperfectam formae activae et partem perfectam formae pasivae habent. Exempli gratia:

  Secundae: audeo, audere, ausus esse; gaudeo, gaudere, gavisus esse; soleo, solere, solitus esse
  Tertiae: fido, fidere, fisus esse; fio, fieri, factus esse


- Ablativus absolutus: est inclyta constructio Latina, ex casu ablativo instrumentali derivata, ubi participium et eius argumenta casu ablativo reddita pro clausulis subordinatis substituta sunt.

Exempli gratia: "Urbe capta Aeneas fugit" ="cum urbs capta est, Aeneas fugit"="quia urbs capta est, Aeneas fugit"="postquam urbs capta est, Aeneas fugit." Ambiguitatem significationis quandam introducit, quam contextus sententiae solus potest resolvere.


Auctores praeclari

Si plus cognoscere vis, vide Libri Latini

- Titus Maccius Plautus
- Publius Terentius Afer
- Marcus Porcius Cato
- Gaius Valerius Catullus
- Quintus Horatius Flaccus
- Gaius Iulius Caesar
- Marcus Tullius Cicero
- Gaius Sallustius Crispus
- Titus Lucretius Carus
- Publius Ovidius Naso
- Publius Vergilius Maro
- Titus Livius
- Gaius Plinius Secundus
- Sextus Iulius Frontinus
- Cornelius Tacitus
- Gaius Suetonius Tranquillus
- Eusebius Sophronius Hieronymus
- Aurelius Augustinus Hipponensis
- Isidorus Hispalensis
- Beda Venerabilis
- Anselmus Cantuariensis sive Augustanus
- Petrus Abaelardus
- Thomas Aquinas
- Ianus Secundus
- Nicolaus Copernicus
- Galilaeus Galilaei
- Franciscus Baco
- Thomas Hobbes Malmesburiensis
- Ioannes Miltonus
- Benedictus de Spinoza
- Isaacus Newtonus
- Leonhardus Eulerus
- Ioannes Pascoli
- Benedictus PP XVI



Petrus Abaelardus et Heloisa



METHODUS
INVENIENDI
LINEAS CURVAS
Maximi Minimive proprietate gaudentes,
SIVE
SOLUTIO
PROBLEMATIS ISOPERIMETRICI
LATISSIMO SENSU ACCEPTI
AUCTORE
LEONHARDO EULERO,
Professore Regio, & Academiae Imperialis Scientiarum PETROPOLITANAE Socio.

LAUSANNÆ & GENEVÆ,
Apud MARCUM-MICHAELEM BOUSQUET & Socios.
MDCCXLIV.

Leonhardus Eulerus multum de mathematica saeculo duodevicensimo scripsit.


Lingua Latina et linguae aliae

Lingua Latina est fundamentum

- Calendarii Romani
- Calendarii Gregoriani
- et multorum aliorum calendariorum
- Linguarum specialium:
  - Lingua Latina botanica
  - Lingua Latina zoologica
  - Lingua Latina apothecariorum
- Linguarum Romanicarum omnium
- et linguarum arte factarum:
  - Interlingua
  - Latino sine Flexione
  - Esperanto
  - Ido

Lingua Latina in cultura populari

Lingua Latina aliquando in cultura populari (ut seriebus televisificis, pelliculis, libris, et ceteris) videtur, primum in genere phantasmate mediaevali, et similibus, ubi saepe ut lingua magica adhibetur, exempli gratia ad incantandum aliquem aut aliquid. Ut lingua magica audiri potest exempli gratia in serie telvisifica*The Vampire Diaries* ('Diaria Vampyrorum'; 2009–praesens).



C. PLINII SECUNDI
NATURALIS
HISTORIÆ,
TOMUS PRIMUS.
Cum Commentariis & adnotationibus HERMOLAI BARBARI, PINTIANI, RHENANI, GELENII, DALECHAMPII, SCALIGERI, SALMASII, Is. VOSSII, & Variorum.
Accedunt praeterea variae Lectiones ex MSS. compluribus ad oram Paginarum accurate indicatae.
Item JOH. FR. GRONOVII Notarum Liber Singularis ad Illustrem Virum *Johannem Capellanum.*
MOVENDO
LUGD. BATAV. ROTERODAMI. } Apud HACKIOS, A°. 1669.

Frons *Naturalis historiae,* veterrima encyclopaediae a Gaio Plinio Secundo primo saeculo scriptae

Lost

In *Lost* ('Perditus'; 2004-2010), serie televisifica litterarum mysteriae populus est, qui Anglice *The Others* ("Alii") appellatur, et Latina lingua utitur.

Star Trek

Paulum linguae Latinae in *Star Trek* ('Iter Stellare'), universo ficto, auditur. In parte cinematographica *The Game* ('Ludus') seriei televisificae *Star Trek: The Next Generation* ('Iter Stellare: Proxima Aetas'), brevis conversatio inter Wesley Crusher et Ioannem Lucium Picard auditur:

> Picard: Quomodo tua Latinitas est?
> Wesley: Praestat quam prius.
> Picard: Oppido bonum.



Calendarium antiquum anni 1000

Etiam sunt sententiolae Latinae scriptae usitataeque in universo ficto:

Sententia	Translatio Anglice	Usus	Pars cinematographica
Ad Astra per Aspera	*Reach for the Stars Through Adversity*	Classis Spatialis Terrestris	ENT - "These Are the Voyages..."
Audentes fortuna iuvat	*Fortune favors the bold*	Columbia	ENT - "Home", "Affliction", "Divergence"
Audentes Fortuna Imperii	*The bold (are) the fortune of the empire*	ISS Avenger	ENT - "In a Mirror", Darkly, Part II"
Caveat emptor	*Let the buyer beware*	Datus et adhibitus ad *Ferengi Alliance* Datae	TNG - "The Last Outpost"
Ex luna scientia	*From the moon, knowledge*	NASA	ENT - "First Flight"

Ex astris scientia	*From the stars, knowledge*	*Starfleet Academy*	TNG - "The First Duty"
Inter Arma Enim Silent Leges	*In time of war, the law falls silent*	Datus et adhibitus ad *Section 31* Gulielmi Ross	DS9 - "Inter Arma Enim Silent Leges"
Res Gesta Per Excellentiam	*Achievement through excellence*	NASA	ENT - "First Flight"
Tempus fugit	*Time Flees* vel *Time Flies*	Ducane locutum	VOY - "Relativity"

Plures tituli partium cinematographicarum Latini sunt:

- TNG
  - Sub Rosa
- DS9
  - Dramatis Personae
  - Inter Arma Enim Silent Leges
- VOY
  - Ex Post Facto
  - Non Sequitur
  - Alter Ego
- ENT
  - Terra Nova
  - Vox Sola

Stargate

In *Stargate* ('Astrorum Porta') universo ficto, vita extraterrestris prudens est *Alteri* appellata. Ut nomen dicit, linguam Latinam loquuntur, sed non nostram; aliam versionem linguae cuius linguam Latinam archaicam agit. *Stargates* ("Astrorum Portae"), quae in universo ficto videntur, Alterorum aedificabantur a pluriis millionibus annis.

Alteri duabus partibus consistunt: *Anquietate* ('antiquitas' Latine), Anglice autem (*The*) *Ancients*, "antiqui", appellatur, et *Oris* ('di'), qui Anglice *Ori* (['ɒraɪ]) appellantur. Antiquitas in galaxiis Via Lactea et Pegaso (galaxia in constellatione Pegasi sita) habitabant, et in indicto galaxia Dei habitabant.

Certo tempore antiquitas nobis hominibus terrestribus linguam suam dabat, quae tempore procedente ad nostram linguam Latinam evolvebatur.

Nexus interni

- Europa Latina

- Institutiones Latinae
- Latinitas viva
- Lingua Latina Renascentiae
- Categoria: Professores rerum Classicarum

Lexica et glossaria

- Vicipaedia:Lexica Latina interretialia
- Categoria:Glossaria
- Index abbreviationum latine
- Index nominum Latine redditorum

Notae

1. Cicero, *De finibus bonorum et malorum* 1.10 (http://latin.packhum.org/loc/474/48/3/218-223@1#3).
2. Cicero, *De oratore* 2.28 (http://latin.packhum.org/loc/474/37/26/286-301@1#26).
3. Plin. *Nat.* 13.135; et interdum apud poetas.
4. Plin. *Ep.* 2.10.2.
5. ⚠ ***Citatio desiderata*** *(addito fonte, hanc formulam remove)*
6. FAZ.Net 24 Iunii 2010: Nadine Bös: "Für die Schule, nicht fürs Leben" (Scholae, non vitae). **(Germanice)**
7. Gavin Betts, *Teach Yourself Complete Latin,* p. 7.
8. Thorus Janson, *Latin: Kulturen, historien, språket* (Wahlström & Widstrand, 2009), ISBN 978-91-46-20428-2.

Bibliographia

Litterae

- Ostler, Nicolaus. 2007. *Ad Infinitum: A Biography of Latin.* HarperCollins in Britanniarum Regno et Walker & Co. in Civitatibus Foederatis: Londinii et Urbe Novo Eboraco.
- Baldi, Philip. 2002. *The Foundations of Latin.* Novi Eboraci et Berolini: Mouton de Gruyter. ISBN 3-11-017208-9, ISBN 3-11-016294-6.
- Desessard, Clementis. N.a. *Lingua Latina sine molestia.* Assimil.
- Mandruzzato, Aentii. 1989. *Il Piacere del latino. Per ricordarlo, impararlo, insegnarlo.* Mediolani: Mondadori.
- Mandruzzato, Aentii. 1991. *I segreti del latino.* Mediolani: Mondadori.
- Palmer, L. R. 1954. *The Latin Language.* Londinii: Faber & Faber.

Nexus externi

Vicimedia Communia plura habent quae ad **linguam Latinam** spectant.

Lege de **grammatica Latina** in **Vicilibris**.

Lege Ῥωμαϊκὴ γλῶττα ("Lingua Latina") apud Vicipaediam lingua Graeca antiqua scriptam

- Latinitas in tela totius terrae. Hoc in indice nexus ad Latinitatem interretialem, generatim digesti, enumerantur (http://www.grexlat.com/nexus/cone.html)
- Ephemeris (http://ephemeris.alcuinus.net/) - Acta diurna interretialis Latine
- The Latin library (http://www.thelatinlibrary.com/) - Litterae Latinae
- Forum Romanum (http://www.forumromanum.org/) - Litterae Latinae et historia Romana
- Vatican - The Holy See (http://www.vatican.va/) - Pagina domestica Civitatis Vaticanae in octo variae linguae, ut Latina
- Opus commune, quo creetur TerritorioScuola ODP. (http://www.territorioscuola.com/tsodp/dmoz.php3?browse=/World/Lingua_Latina/)
- Bibliotheca Latina (http://la.bibliotheca.wikia.com/wiki/Pagina_prima)
- Sermonis Latini Elogium (https://www.youtube.com/watch?v=8y04po7Fq-0&feature=related) apud *YouTube* **(Latine)**
- Latine Loquere (http://latindiscussion.com/forum/viewforum.php?f=19)
- *Vichinfo Latina* vel Inter-retis Encyclopaedia (http://wikinfo.org/w/index.php/Themata_Latina) **(Latine, Anglice)**
- Latin teaching materials at Saint Louis University (http://www.slu.edu/colleges/AS/languages/classical/latin/tchmat/tchmat.html#latest) **(Anglice, Latine)**
- Molinarium (http://www.molinarium.com) Morphologia Latina **(Hispanice)**
- De Pontificia Academia Latinitatis condenda (http://kath.net/news/38847) kath.net **(Latine)**

Cultura popularis

- Lingua Latina (https://www.youtube.com/watch?v=uuIb9rUNYZw) ex *Lost*, pars I (*The others speak Latin (w/ Latin subs) - Part I*) **(Latine, Anglice)**
- Lingua Latina (https://www.youtube.com/watch?v=iVz6mWYvnZ8) ex *Lost*, pars II (*The others speak Latin - Part II*) **(Latine, Anglice)**
- De lingua Antiqua (http://stargate.wikia.com/wiki/Ancient_language) Antiquitatis a *Stargate* apud *Stargate Wiki*

Lingua Latina
Institutiones · Latinitas · Lexica · Libri Latini · Sententiae · Usus Latinae Linguae · Professores rerum classicarum